

*electionem decernimus irritam et inanem* (1). Et hoc adeo verum est, ut non valeat collatio, etiamsi primo die post sex menses fiat (2).

Quod si Episcopus nihilominus post lapsum sex mensium præbendas contulerit, provisio hæc ab Episcopo facta, quæ nulla est, numquam convalescere potest (3); nisi tamen personis idoneis assignatæ fuerint, et superior, ad quem collatio devoluta est, eas de patientia permittat ab ipsis pacifice possideri, ex c. IV *Litteras* lib. 1. Decretal. tit. X, de suppl. negligent. Præl. Quia licet superior non possit convalidare collationem ipso jure nullam; cum tamen ad ipsum propter negligentiam alterius, jus conferendi devolutum sit, bene de novo conferre potest, quod tacite facere videtur (4). Quinimo juxta De Angelis (5), si collator post lapsum sex mensium contulerit « actus non est ipso jure nullus, sed a superiori rescindibilis; hinc provisos potest pergere ad possessionem, quamdiu superior non interveniat. Et hoc est jus hodiernum quoad tempus, si tamen in aliquibus servantur istæ formæ ».

II. Non tantum prohibitum est, ne quis, conferendo beneficium ecclesiasticum, partem proventuum suis usibus retinere præsumat; sed et beneficia ecclesiastica sine diminutione debent conferri, juxta lib. III Decretal. tit. XII, ut eccl. benef. sine dimitt. conf. c. unic. *Ul nostrum*.

Episcopus tamen et capitulum præbendæ vacanti honestum onus imponere possunt, ad quod præbendarius teneatur, juxta lib. III Decretal. tit. V de præbendis c. XI *Significatum*, v. g. quotidie missam de Sancta Maria celebrare, etc.

Possunt etiam Episcopi ex jam diu invecta consuetudine pensiones imponere in collatione beneficiorum: ejusmodi autem pensiones, quæ ab Episcopis imponuntur, non possunt considerari tanquam onera realia beneficio imposita, sed considerari debent tanquam onera personalia imposita beneficiario: et ideo Episcopi generatim non possunt imponere pensiones perpetuas, v. g. in favorem alicujus collegii, quod nunquam moritur, vel alicujus præbendæ. Hujusmodi enim pensiones non solum gravarent beneficiarium sed ipsum beneficium, et fieret veluti beneficii sectio, quam sectionem,

(1) Fagnanus loco cit. n. 24; J. Devoti loco cit. § IV.

(2) Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. X, n. 24.

(3) S. C. C. 19 Aug. 1775, *Urban*. § 6, apud Zamboni tom. IV, *Canonicatus* § VI.

(4) Ita Reiffenstuel loco cit. et J. Devoti loco cit., § 4.

(5) Prælect. jur. Can. lib. 1, tit. X, n. 4.

obstante principio, ut *beneficia sine diminutione conferantur*, Episcopi auctoritate ordinaria generatim facere non possunt (1).

III. Præbendæ dividi non debent juxta lib. III Decretal. tit. V, de præb. et dignit. c. VIII, *Majoribus*, nisi rationabili causa de vacante præbenda duæ fuerint constitutæ, ac tot sint utriusque proventus, quod per utramque sit utrique provisum in beneficio competente, ex c. XXVI *vacante* ibidem (2).

IV. Præbendæ supprimendæ non sunt. Cum autem Episcopus curare debeat, ut canonici habeant præbendas sufficientes ad victum, pro sustinendo decente canonicorum gradu, præbendas tenues vacantes ad pauciores numerum reducere potest, ut dictum est capite III, § 1, n. II (3).

## CAPUT XXX.

### DE DISTRIBUTIONIBUS.

#### § 1. *Distributionum origo, finis, definitio et divisio.*

I. Initio Ecclesiæ beneficia ex solis distributionibus constare videbantur: nam congestis oblationibus atque elemosynis fidelium, alebantur in diem clerici, qui ecclesiæ inserviebant. Cum deinde beneficia institui cœpissent, ipsisque certus fundus attribui, secerni pariter cœperunt fructus præbendæ, et distributiones. Ivo Charnotensis distributiones ejusmodi primus excogitavit, in cujus epistola 219 legitur: *Cum in quam pluribus canonicorum Charnotensium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi; ut, quos panis interni dulcedo non movebat, panis corporis refectio provocaret, quamvis eorum annua præbenda ad hoc sufficiens esse deberet* (4).

(1) Ita Acta S. Sedis vol. IV, fol. 78, not.; Fagnanus, in 1, p. III Decretal. de præbendis c. *Nisi essent*, n. 14 et seqq.

(2) Krimer lib. III, Decretal. q. XII, n. 976.

(3) Scarfantonus lib. 1, tit. VI, n. 11.

(4) Bened. XIV, Inst. 107, § VII.

II. Distributiones quotidianæ in Ecclesia institutæ sunt ad canonicos et clericos excitandos et animandos, eosque ad diligentiorum divini officii executionem alliciendos; non autem ut easdem lucrandi causa chorum frequentarent: si enim eo tantum animo et intentione ad chorum convenirent, nequaquam satisfacerent menti Ecclesiæ, quæ intendit, ut sacrificium laudis Deo, non ex necessitate, sed voluntarie offeratur et persolvatur. Indignum est, ut canonici aliique beneficiati, qui officium Angelorum, incessanter Deum in cœlis laudantium, sortiti sunt, tantummodo propter materiales distributiones officia divina persolvant, cum in hoc casu quamdam simoniæ speciem committant: simoniæ enim ratio in hoc præcipue consistit, quod res spirituales temporalibus vel æquiparentur vel postponantur, aut ipsa spiritualia, ut medium ad obtinendum temporale, ordinentur: ac proinde canonistæ condemnare non dubitant, uti reum simoniæ mentalis canonicum, qui interest officio divino principaliter intuitu lucri temporalis (1). Hinc tamen nequaquam inferendum est, illud per se esse simoniacum, dum distributiones quotidianæ, quæ sunt quid temporale, dantur pro actuali exercitio cultus divini, sive ministerio mere spirituali: ejusmodi enim distributiones non dantur pro ministerio spirituali, ut pretium ex pacto; sed ut temporale stipendium pro honesta clerici in ecclesiastico servitio occupati sustentatione, juxta illud Salvatoris Mathæi X, 10, *Dignus est operarius cibo suo* (2).

Studere proinde debent canonici omnesque divinis officiis obeundis adstricti, ut eorum mens, et intentio, dum accedunt ad chorum, tota in Deum referatur, ipsique cum Psalmista dicere possint: *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est*: licet enim Ecclesia, quæ non judicat de occultis, non repellat a lucro distributionum, choro interessentes sola spe temporalis emolumentis, sed præcipiat corporalem interessentiam; attamen, ut dictum est, non adimplent ejus intentionem, et qui talia agunt, habebunt Deum ultorem, qui scrutator est cordium. Convincuntur vero frequentare horas canonicas principaliter spe lucri, qui sollicitè choro intersunt, quoties horis majores annexæ sunt distributiones, et passim absque justa et rationabili causa negligunt interesse, quando aliquibus functionibus nullæ vel exiguæ assignatæ sunt distributiones (3).

(1) Scarfantonus lib. 2, tit. VI, animadv. 3.

(2) Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 171; Moneta p. 2, q. XVIII, n. 29 etc.

(3) Ita Scarfantonus lib. 2, tit. VI, animadv. 4-7; Benedictus XIV, Inst. 107, § VII; Reiffenstuel loco cit. n. 169 et 171; Barbosa de canonicis cap. XXI, n. 9 et 10.

III. Distributiones ita dicuntur, quia juxta cujusque merita, laborem et qualitatem distribuuntur. Dicuntur autem quotidianæ, sive quia quotidie distribuuntur, sive potius quia distribuuntur iis, qui quotidie horis canonicis divinisque officiis intersunt, quasi quotidianum et diurnum stipendium (1). Vulgo etiam appellantur præsentis, quatenus præsentibus distribuuntur; item victualia ac manualia beneficia (2).

Distributiones quotidianæ proprie definiuntur, quod sint stipendia quædam personalia, quæ ex redditibus ecclesiæ, præter præbendam aut portionem certam pro beneficio competentem, canonicis et beneficiatis, divinis officiis vere vel fecte interessentibus, tribuuntur. Distributiones hujusmodi non veniunt appellatione fructuum seu proventuum, cum de corpore beneficii non sint, sed percipiuntur ratione servitii personalis (3).

IV. Distributiones canonicis et beneficiatis debentur in præmium laboris et personalis servitii. Unde tam quotidianæ, assignatæ pro assistentia horis canonicis, quam manuales, etiam extraordinariæ, cum sint tanquam merces et stipendium laboris, acquiruntur canonico sive beneficiato, et illarum vere est dominus, ad differentiam fructuum beneficii et præbendæ; ita ut de illis libere testari possit, adinstar honorum mere profanorum, juxta communem sensum Canonistarum (4). Prout Sacra Pœnitentiaria 9 Januarii 1823 respondendum censuit, si agatur de stipendiis, quæ dantur laborantibus inserviando functionibus ecclesiasticis tanquam merces operis, et ad operantis sustentationem, hæc bona censi quasi patrimonialia (5): et sicut scribit Benedictus XIV (6) *ex monumentis perspicue infertur, quod, postquam choro interessentibus certa emolumenta constitui cœperunt, qui illa lucrabatur, eadem et sua faciebat, expendebatque libere in proprios usus, cum illorum dominus esset pleno jure, quemadmodum et hodie sunt canonici quoad chorales distributiones*. Licet igitur fructus præbendales, non exacti, ad hæredes defunctorum non transmit-

(1) Moneta p. 1, q. 1, n. 9-12; Lucius Ferraris *Distributiones* art. 1, n. 1 et 2.

(2) Moneta p. 1, q. 2.

(3) Lucius Ferraris loco cit. n. 3-6; Barbosa de canonicis, cap. XXI, n. 1-8.

(4) Scarfantonus lib. 2, tit. X, animadv. 12.

(5) Vid. cap. XXIX, § 2.

(6) De Synodo lib. XIII, cap. XII, n. XXII.

tantur, quotidianæ tamen distributiones non exactæ, ad eos deferri debent (1).

V. Distributiones aliæ a præbendis non distinguuntur, et ipsæmet præbendarum vice funguntur, videlicet in illis ecclesiis, in quibus omnes redditus consistunt in distributionibus, quarum duæ partes rationem præbendæ habent, et tertia pars quotidianis distributionibus inservit, ut dictum est cap. XXIX, § 3; aliæ autem a præbendis separatæ et distinctæ sunt, quales sunt distributiones illarum ecclesiarum, in quibus canonici certas habent præbendas, et præterea quotidianas distributiones, quæ dantur interessentibus divinis officiis.

2° Aliæ dicuntur inter præsentibus, quæ actu præsentibus tantum distribuuntur, et aliæ quæ absentibus seu fide tantum præsentibus etiam distribuuntur.

3° Aliæ sunt fixæ, quæ percipiuntur ex vi legati seu alicujus piæ dispositionis, cujus satisfactio quolibet anno cum certa participatione emolumenti adimpletur, uti sunt anniversaria fixa et speciales festivitates, quæ quotannis celebrantur: aliæ sunt eventuales et incertæ, quæ acquiruntur ex funerum associatione, exequiis, incertis anniversariis, et ex missis adventitiis, quæ a capitulo celebrantur.

4° Illæ inter præsentibus, aliæ tales sunt ex speciali statuto aut consuetudine ecclesiæ, et aliæ ex benefactorum seu testatorum expressa voluntate.

### § 2. Ecclesiæ leges de distributionibus.

1. Lib. III Decretalium tit. V, de præbendis, cap. XXXII :  
 « Licet vobis direxerimus scripta nostra, ut Magistro N. Eboracen,  
 » Archidiacono in sacra pagina cupienti studere, proventus suos  
 » ecclesiasticos faceretis integre ministrari. Nolumus tamen, ut  
 » quotidianas distributiones, quæ tantum residentibus in ecclesiis,  
 » et his, qui intersunt horis canonicis, exhibentur, ei tribui faciatis. »
2. Sexti Decretalium lib. III, de clericis non residentibus, tit. III :  
 « Consuetudinem, quæ in quibusdam partibus inolevit, qua cano-  
 » nici et alii beneficiati, seu clerici Cathedralium, et aliarum Col-

(1) S. C. C. 9 Julii 1735. § 5, *Cap. Spol.* apud Zamboni vol. 4, *Distributiones*, § III, *Insuper fructus*; Barbosa de canonicis cap. XXI, n. 32.

» legatarum Ecclesiarum distributiones quotidianas (quæ alias  
 » manualia beneficia, seu victualia nuncupantur, et tantum resi-  
 » dentibus tribuuntur) qualitercunque in civitatibus, seu aliis locis,  
 » in quibus ipsæ consistunt ecclesiæ, sint præsentibus, licet divinis  
 » officiis non intersint, ex integro percipiunt, ac si continue in  
 » ipsis ecclesiis, in eisdem officiis deservirent, penitus improban-  
 » tes. Statuimus, ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscum-  
 » que rebus consistunt, canonicis ac aliis beneficiatis, et clericis  
 » Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis affue-  
 » rint, tribuantur juxta Ecclesiæ cujuslibet ordinationem ratio-  
 » nabilem jam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de  
 » distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos  
 » infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut  
 » evidens Ecclesiæ utilitas excusaret) rerum sic receptorum domi-  
 » nium non acquirat, nec faciat eas suas; imo ad omnium restitu-  
 » tionem, quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit,  
 » teneatur. »

« De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis lar-  
 » giendis, idem decernimus observandum. »

3° Concilium Tridentinum sess. XXI, cap. III de reform. « Quum  
 » beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda  
 » sint constituta; ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei  
 » debitum omnibus in rebus obsequium præstetur; statuit sancta  
 » synodus, in ecclesiis, tam cathedralibus, quam collegiatis, in  
 » quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut  
 » verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorum-  
 » cumque proventuum et obventionum, tam dignitatum, quam  
 » canonicatum, personatum, portionum et officiorum, separari  
 » deberi; et in distributiones quotidianas converti, quæ inter digni-  
 » tates obtinentes, et ceteros divinis interessentes, proportiona-  
 » biliter, juxta divisionem ab episcopo, etiam tamquam Apostolicæ  
 » Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam,  
 » dividantur: salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum,  
 » in quibus non residentes, seu non servientes, nihil, vel minus  
 » tertia parte percipiunt: non obstantibus exemptionibus, ac aliis  
 » consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et appellationibus qui-  
 » buscumque. »

4° Concilium Tridentinum sess. XXII, cap. III, de ref. « Epis-  
 » copi, etiam tamquam delegati Apostolici, ex fructibus et proven-  
 » tibus quibuscumque omnium dignitatum, personatum et offi-

» ciorum, in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis existentium,  
 » tertiam partem in distributiones, eorum arbitrio assignandas,  
 » dividere possint : ut scilicet, qui eas obtinent, si personaliter  
 » competens sibi servitium juxta formam, ab eisdem episcopis  
 » præscribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei  
 » distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acqui-  
 » rant, sed fabricæ ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco  
 » arbitrio ordinarii applicetur. »

5<sup>o</sup> Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XII, de ref. « Dis-  
 » tributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui,  
 » quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, juxta  
 » Bonifacii VIII decretum, quod incipit Consuetudinem : quod  
 » sancta synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque  
 » statutis et consuetudinibus. »

§ 3. *Fundus unde distributiones proveniunt et deduci possunt.*

I. Distributiones, præter præbendas, constituuntur per speciales  
 pias foundationes seu dispositiones, ubi illæ sunt.

II. Ubi redditus omnes consistunt in distributionibus, tertia  
 harum pars inservit distributionibus, reliquæ vero duæ succedunt  
 in locum præbendæ (1).

III. Ubi distributiones non existunt, earum loco institui possunt  
 punctaturæ, præsertim in illis capitulis, quorum præbendæ cano-  
 nicales, non in communi, sed separatim singulæ a singulis admi-  
 nistrantur : et tunc ab absentibus singulis vicibus persolvenda est  
 mulcta, quæ nomine punctaturæ seu fallentiæ venit, et correspon-  
 det distributioni, si existeret et daretur, ab absentibus amittendæ :  
 hæc pecunia seu mulcta, quam absentes ex proprio ære persolvere  
 tenentur, pro distributionibus inter præsentem dividenda et distri-  
 buenda est (2).

IV. Ubi distributiones non existunt, vel non sufficientes, Conci-  
 lium Tridentinum tria media præscribit, videlicet primum sess. XXI,  
 cap. III de reform. et sess. XXII, cap. III de reform. quod consis-  
 tit in separando tertiam partem fructuum, eamque convertendo in  
 distributiones quotidianas, ut liquet ex locis allatis § 2, n. 3 et 4.

(1) Conc. Trid. sess. XXI, cap. III de reform. Reiffenstuel lib. III, Decretal.  
 tit. IV, n. 207 et 208; De Angelis lib. III, tit. IV, n. 16. Vid. cap. XXIX, § 3.

(2) Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 260, n. 31; De Angelis loco cit.

Hæc separatio seu detractio tertiæ partis fructuum in hoc casu  
 fieri debet, non ex una aut altera tantum pinguiori præbenda, sed  
 ex omnibus præbendis et dignitatibus ecclesiæ (1) : ita ut tertia pars  
 ex singulis præbendis detrahatur, videlicet duo millia, si alicujus  
 præbendæ proventus ad sex millia ascendant; mille, si proventus  
 sint tria millia; quingenta, si proventus sint mille et quingenta; et  
 sic deinceps, prout eadem proportione distributio inter præsentem  
 faciendæ est, ut infra dicitur. Ita faciendum est, ut statuitur in Con-  
 cilio Tridentino, non obstantibus quibuscumque exemptionibus et  
 consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et constitutionibus vel  
 statutis capitularibus, etiam juramento firmatis (2). Hæc tamen  
 assignatio ex tertia parte fructuum faciendæ est detractis pensione  
 aliisque oneribus legitimis, quamdiu illa duraverint (3).

Si distributiones regulariter non sint tenues, sed pingues, aliquæ  
 vero horæ non habeant distributiones aut tenues; his rationabiles  
 assignari debent, detrahendo aliquam partem fructuum a præbendis,  
 non autem ab aliis distributionibus, cæteris horis assignatis (4).

Ubi autem distributiones sufficientes sunt, tertia pars fructuum  
 præbendarum detrahi non potest : Concilium enim Tridentinum  
 hoc tantum præscribit in ecclesiis in quibus nullæ sunt distribu-  
 tiones, vel ita tenues, ut negligantur (5). Similiter si canonici sint  
 diligentes, et chori servitium exacte impleant, etiamsi distributiones  
 tenues fuerint; tertia pars fructuum in distributiones convertenda  
 non est (6).

V. Secundum et tertium medium constituendi distributiones,  
 ubi non sunt, vel eas augendi si tenues fuerint, præscribit Conci-  
 lium Tridentinum sess. XXIV, cap. XV de reform. « In ecclesiis  
 » cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque  
 » tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis,  
 » ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et persona-  
 » rum qualitate non sufficiant; liceat episcopis cum consensu  
 » capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis

(1) S. C. C. 15 Ap. 1592, *Bosanen.* dub. 2, apud Zamponi *Capitulum eccl.*  
 § IV, n. 5.

(2) S. C. C. 18 Nov. 1628, *Nicien.* dub. 2, apud Zamponi *Capitulum eccl.*  
 § IV, n. 10.

(3) S. C. C. in cit. *Bosanen.* dub. 3, ibidem n. 6.

(4) Barbosa de canonicis cap. XXI, n. 23.

(5) Piasecius *Praxis Episc.* p. II, cap. III, n. 7; Barbosa loco cit. n. 29.

(6) S. C. C. 27 Mart. 1858, *Analecta juris Pont.* 1858, fol. 951.

» unire; vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis  
 » suppressis, cum patronorum consensu, si de jure patronatus  
 » laicorum sint, quarum fructus et proventus, reliquarum præben-  
 » darum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad paucio-  
 » rem numerum reducere: ita tamen, ut tot supersint, quæ divino  
 » cultui celebrando ac dignitati ecclesiæ commode valeant respon-  
 » dere: non obstantibus quibuscumque constitutionibus et privi-  
 » legiis, aut quacumque reservatione generali vel speciali, aut  
 » affectione: neque prædictæ uniones, aut suppressiones tolli, seu  
 » impediri possint ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore  
 » resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensio-  
 » nibus. » *Vid. cap. III, § 1, n. II (1).*

VI. Cum pensiones, quæ in Gallia, Belgio aliisque locis a guber-  
 nio solvuntur, locum teneant præbendarum, ut dictum est c. XXIX,  
 § 2; capitula, quæ ecclesiasticis proventibus expoliati sive carentes,  
 pensiones a gubernio recipiunt, idcirco non liberantur ab  
 obligatione constituendi distributionum massam juxta Tridentinam  
 legem, quas indebite absentes amittunt, et præsentibus cum suis  
 percipiunt (2).

In his ecclesiis, in quibus nullus vel non sufficiens distributionum  
 fundus existit, Episcopus indicere potest, ut singuli canonici ter-  
 tiam partem pensionis in communi disponant pro distributionibus,  
 prout S. C. Congregatio 23 Nov. 1850 respondit capitulo Terges-  
 tino, ubi mos erat, ut nulla reddituum pars assignaretur distribu-  
 tionibus: quapropter ab Episcopo Tergestino inter alia dubia pro-  
 positum fuit: *V An et quomodo teneatur Episcopus partem  
 reddituum capitularium cathedralis Tergestinae assignare  
 pro distributionibus quotidianis?* S. Congregatio respondit: *Ad  
 quintum affirmative, et Episcopus procedat ad formam sacri  
 Concilii Tridentini, sessionis 22 cap. 3, de ref.* (3). Sic in Bulla  
 erectionis diocesis Vallis Guidonis in Gallia 30 Junii 1855 (4) præ-  
 scribitur: *Ex omnibus canonicalibus et mansionariis cathe-  
 dralis ecclesiæ præbendis, quemadmodum in more est ita sacris  
 canonibus institutum, tertia uniuscujusque præbendæ pars se-*

(1) Vid. Pallottini, *Distributiones* n. 87 etc.

(2) De Angelis lib. III, Decretal. tit. IV, n. 16; Bouix de capitulis p. I, sect. III,  
 p. 1, cap. III; Acta S. Sedis vol. III, fol. 467; Craisson Manuale jur. Can.  
 n. 2255 et 2261.

(3) Apud Bouix loco cit.

(4) In Analectis juris Pontif. 1863, fol. 2051.

*cernatur, eisque communis massa efformetur in quotidianas  
 distributiones rationabili methodo iis tribuendas, qui nimirum  
 divinis officiis in dies et horas canonicas præsentibus adfuerint.*

Cum autem canonici massam communem non habeant, sed  
 unusquisque pensionem suam a gubernio accipiat, modus aptior  
 videtur (1) constituendi punctaturas seu mulctas ad concurrentiam  
 tertiæ partis pensionis sive præbendæ, quas absentes solvunt, et  
 præsentibus lucrantur.

Duæ difficultates a nonnullis opponuntur: prima, quia stipen-  
 dium a gubernio solutum, efficit, quod illi canonicatus inter bene-  
 ficia computari non possint; hæc autem difficultas hodie opponi  
 non potest post rescriptum S. Pœnitentiariæ diei 19 Januarii 1819  
 relative ad Belgium, in quo declaratur, ea stipendia naturam  
 beneficiorum induere (2). Altera difficultas est consuetudo con-  
 traria; sed hæc etiam attendenda non est, non tantum quia contra  
 Concilium Tridentinum consuetudo inolescere nequit, uti plures  
 censent auctores; sed quia ista consuetudo esset irrationabilis, seu  
 dans occasionem negligendi servitium chori, propter quem finem  
 fuit incultata a Concilio Tridentino distributionum lex; et quapro-  
 pter ea non obstante, S. C. Congregatio mandavit servari formam  
 Concilii, ut liquet ex supra citata Tergestina (3).

#### § 4. *Quantæ distributiones et in quibus horis et officiis assignandæ.*

I. Quantitas distributionum in jure non est definita. Hæc varia  
 esse potest pro qualitate ecclesiæ, loci, personarum ac præben-  
 darum.

Distributiones tam tenues esse nequeunt, ut verisimiliter  
 negligantur, sicut dicit Concilium Tridentinum sess. XXI, cap. III  
 de reform. et prout docet sess. XXIV, cap. XV de reform. ut cum  
 præbendis sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et per-  
 sonarum qualitate non sufficiant. Cum Concilium Tridentinum  
 sess. XXI, cap. III et sess. XXII, cap. III de reform. statuatur,  
 tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum et obven-

(1) De Angelis et Bouix locis cit.

(2) Vid. cap. XXIX, § 2.

(3) Vid. De Angelis et Bouix locis cit.